Nyl. Syn. p. 373; *Sticta crenulata* Tuck. Lich. of the Havaiian Islands p. 225, non *Ricasolia crenulata* Hook. Nyl.; frequenter ad truncos et ramos ramulosque.

29. ***Parmelia latissima*** Fée f. ***sorediata*** Nyl. Syn. p. 389, pulchre sed parcissime tantum fertilis.

30. ***Parmelia perforata*** Ach. Meth. p. 217, cum apotheciis jun.

31. ***Parmelia laevigata*** Ach. Syn. p. 212, sterilis.

32. ***Physcia leucomela*** v. ***angustifolia*** Nyl. Syn. p. 415, ster.

33. ***Physcia obesa*** (Pers.) Nyl. Syn. p. 418, pulchre, abundanter fertilis.

34. ***Theloschistes flavicans*** Norm. Conat. praem. gen. Lich. p. 17, ster.

35. ***Pannaria lurida*** Nyl. Enum. gén. p. 109; hic etiam pertinet *P. Sandwichiana* Krplh. Lich. Wawra p. 4, in f. *hypomelam* Tuck. Lich. of the Hawaiian Isl. p. 225 abiens.

36. ***Pannaria mariana*** Müll. Arg. L. B. n. 1159; *Parmelia mariana* El. Fries Syst. Orb. Veg. p. 284; *Pannaria pannosa* Nyl. in Prodr. Nov. Granata p. 27, excl. syn. Sw. — frequens ad truncos.

37. ***Coccocarpia pellita*** (Sw.) Müll. Arg. L. B. n. 421, inter muscos, ster.

Observationes in Lichenes argentinenses

a Doctt. **Lorentz** et **Hieronymo** lectos et a Dr. **A. de Krempelhubero** elaboratos, quas offert Dr. **J. Müller**.

In sequentibus Lichenes eodem ordine et iisdem numeris ac in opere *Krempelhuberi* rectificantur, aut in alia genera locantur aut descriptionibus aut characteribus variis majoris momenti augentur. Illae species autem, de quibus mentio haud facta est, similiter ad ipsa specimina originalia examinatae, omnes recte determinatae erant. Solum *Physcia candelaria* Nyl. (n. 42) et *Pertusaria melanostoma* Krplh. (n. 76) a me non visa sunt.

7. **Cladonia antilopaea** v. **pulverulenta** non ad plantam Delisei sed ad formam genuinam hujus speciei, i. e. magis squamulosam et subglabram referenda est.

12. **Usnea barbata** f. **glaucescens** Krplh. est **Usnea barbata** v. **aspera** (Eschw.) Müll. Arg. Revis. Lich. Mey. n. 2, forma minus valide aspera, nonnihil ad v. *floridam* accedens.

13. **Usnea Hieronymi** Krplh., sit **Usnea barbata** v. **Hieronymi** Müll. Arg.; fere omnino eadem est ac *U. barbata* v. *densirostra* (Tayl.) Müll. Arg. L. B. n. 234 et 1239, nec ab ea diversa est nisi ramillis apice longiuscule nigratis. Reliqua omnia omnino quadrant. Individua basi non semper nigrata sunt et papillae copia et magnitudine eximie variant. Ludit subinde ut illa ramillis fere deficientibus.

17. **Ramalina fraxinea** e duabus composita est. Adsunt 1° **R. calicaris** v. **subampliata** Nyl. Ram. p. 34 (apotheciis majoribus terminalibus et marginalibus), et 2° **R. Ecklonii** v. **maxima** Müll. Arg. Lich. Parag. n. 16 (apotheciis minoribus facialibus). — Vera *R. fraxinea* Ach. ibidem nondum lecta est.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05167-0068-7

18. **Ramalina asperula** Krplh. est **R. complanata** Ach. et Nyl. Recogn. Ramal.

19. **Peltigera polydactyla,** est **P. rufescens** v. **spuria** Körb. Syst. p. 59, sed **P. polydactyla** v. **dolichorrhiza** Nyl. ibid. recte determinata fuit.

20. **Sticta Gaudichaudii,** est **Stictina quercizans** v. **trichophora** Müll. Arg. L. B. n. 238.

23. **Sticta quercizans,** est **Stictina quercizans** v. **peruviana** Nyl. Syn. p. 345, et quod l. c. sub *Stictinae quercizantis* v. *peruviana* enumeratum est, videtur forma normalis speciei, sed specimina sterilia et dein non omnino certa sunt.

26. **Parmelia Borreri** v. **allophyla** Krplh., est **P. microsticta** Müll. Arg. L. B. n. 100.

27. **Parmelia taractina** Krplh., a *P. congruente* Bch. valde recedit, at proxima est *P. conspersae* v. *hypoclystae* Nyl., sed laciniae longiores, planiores et magis sinuato — pinnatifidae, sinus obtusi, color totius Lichenis minus distincte flavicans.

28. **Parmelia leucopis** Krplh., prima fronte magnitudine forma et colore partium optime refert *P. Somaliensem* Müll. Arg. L. B. n. 934, sed non est microspora. Proxima est *P. urceolatae* Eschw., a qua differt thallo centro magis compaginato, laciniis convexulis, margine non undulatis, subtus subincurvis ettota longe magis adpressa; apothecia insuper minora et nana sunt, nec poculiformi — cupularia. — Huic insuper admixtum est speciminulum fertile *Parmeliae microstictae* Müll. Arg., sporis nondum omnino evolutis.

29. **Parmelia Uruguensis** Krplh., habitu refert *P. urceolatam* Eschw., sed planta est microspora et apothecia margine nigro-ciliata sunt; thallus illum *P. perforatae* Ach. refert, subtus autem coloratus est ut in *P. corruge (P. hypotropa* Nyl.) Müll. Arg. (Fr.), sed apotheciorum margo haud nudus est.

30. **Parmelia latissima** Fée, plantam veram Féeanam, fertilem laevem continet, sed etiam adsunt specimina sterilia, medio late isidiosula, quae ad *P. praetervisam* Müll. Arg. L. B. n. 191 referenda sunt. — *P. latissima* v. *subrugata* Krplh. l. c. dein est ipsissima primaria planta Féeana, plenius evoluta, ut in Revis. Lich. Féeanor. p. 11 jam antea monui.

31. **Parmelia versiformis** Krplh. praeter reactionem chemicam, characterem systematice nullius momenti, absolute eadem est ac **Parmelia leucopis** Krplh. l. c. n. 28 et dein absolute specifice cum hac jungenda est. — Thallus caeterum in iisdem speciminibus et rugosus et laevis et receptaculum extus primum laeve et dein valide rugosum est.

33. **Parmelia Lorentzii** Krplh., est proxime affinis *P. microstictae* Müll. Arg. et *P. Borreri* Turn., at thallo differt magis applanato, medio nigrescenti-subcinereo et punctis sorediellis paginae superioris majoribus quam in priore et polymorphis, orbicularibus, oblongis saepeque rimoso-triangularibus praedito, quibus simul ab ambabus statim discernitur.

34. **Parmelia Kamtschadalis** Eschw., est var. **americana** Nyl. Syn. p. 387.

35. **Parmelia cetrata,** superficie sub lente polito-laevi a planta hujus nominis differt et ad similem **P. laevigatam** Ach. Syn. p. 212 referenda est.

36. **Parmelia perforata** Ach., bene et quidem fertilis adest, at admixta sunt specimina sterilia, quae pertinent 1° ad **P. perforatam** v. **ulophyllam** Mey. et Flot. in Act. Acad. Leopold. 1843 p. 218, et 2° ad **Parmeliam corrugem** (Fr.) Müll. Arg. L. B. n. 1074.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05167-0069-6

37. **Parmelia Nilgherrensis,** thallo subtus parte media lata subpannoso-tomentoso a *P. Nilgherrensi* Nyl. (chemice tantum a *P. latissima* Fée. spurie diversa) differt et eadem est ac **Parmelia Schweinfurthii** Müll. Arg. Diagn. Lich. Socotr. p. 3. Sporae amplae, pachydermeae consentiunt.

38. **Parmelia perlata** est **P. proboscidea** Tayl. in Mack. Flor. Hib. 2. 143, ciliis ad margines thalli depauperatis.

39. **Parmelia olivetorum** est **Parmelia urceolata** Eschw. v. **nuda** Müll. Arg. L. B. n. 183, cui additum est speciminulum liberum (non chartae affixum) **Parmeliae perforatae** v. **ciliatae** Nyl. Syn. p. 378.

40. **Parmelia congruens** non est planta Archarii hujus nominis, sed affinis est species nova, **Parmelia subcongruens** Müll. Arg., quae ab illa recedit colore minus pallido, virenti — cinereo, levissime flavicante, laciniis fere tota longitudine inter se compaginato-connatis, apice saepe longitrorsum plicatis, subtus nudis v. rhizinis parcissimis praeditis et praeter ultimum marginem albidum undique nigris et opacis. Apothecia utriusque conveniunt. Sporae dein longitudine quadrant, sed magis ambitu latae sunt. — Thallus subtus ut in *P. physode* Ach., sed haud nitidus. — Quod autem e Nova Hollandia egomet anno 1881 (L. B. n. 315) sub *Parmelia versicolore* descripsi, nunc viso specimine primitivo Mühlenbergiano in hb. Sw., a vera **P. congruente** Ach. Univ. p. 491, et Sw. Lich. Amer. p. 5. t. 4 non amplius distinguere possum.

43. **Physcia fibrosa** est quidem planta Nylanderi, non autem primaria Friesii, nunc **Candelaria stellata** Müll. Arg. L. B. n. 1154 salutatur.

46. **Physcia crispa,** pro maxima parte pertinet ad **Physciam phaeocarpam** Nyl. Syn. p. 424, specimine uno ad **Physciam stellarem** Nyl., et dein alia sterilia adsunt quae verisimiliter ad **Physciam pictam** Nyl. referenda sunt.

51. **Physcia barbifera,** est **Physcia comosa** (Eschw.) Nyl. Syn. p. 416. — Sporae circ. 27 μ longae. Laciniae thalli supra vestitae.

52. **Physcia endochrysea** Krplh. est **Physcia adglutinata** v. **pyrithrocardia** Müll. Arg. L. B. n. 196.

53. **Physcia obscura** v. **combinata** Krplh. non differt a praecedente.

54. **Gyrophora Delisei** non est generis *Gyrophorae* sed ad **Umbilicariam haplocarpam** Nyl. Additam. ad Lichenogr. Andium Boliviens. p. 376 pertinet. — Apothecia simpliciter lecideina, nec gyroso — plicata sunt; sporae 20—27 μ longae, 11—17 μ latae, (6—)8-nae, e hyalino demum olivaceo — nigricantes, e simplice biloculares, loculi mox oblique cruciatim 4-partiti et demum modice ultra divisi.

55. **Gyrophora murina,** habitu quidem satis cum De Candollei specie hujus nominis convenit, praeter consistentiam validam rigidam thalli, et pagina inferior nuda et similiter crebre verruculoso — aspera conformis est, sed sporae sunt omnino aliae; hae sunt 8-nae, 12—14 μ longae et 8—10 μ latae, late ellipsoideae, utrinque late saepeque truncato — obtusae et medio repando — angustatae, i. e. distincte aut parum distincte 2 — loculares et hoc statu visae hyalinae; loculi ambo indivisi aut loculus alter indivisus, alter longitrorsum in duos septatus et bilocellatus et latior, unde sporae hae ambitu singulari modo obtuse triangulares evadunt. Hi status omnino sporas quasdam juniores *Umbilicariae haplocarpae* Nyl. simulant et non omnino typice evolutae sunt. Plane evolutae fere indubitanter majores, magis parenchymaticae divisae et ex summa analogia demum nigricantes esse debent. Sit **Umbilicaria Krempelhuberi** Müll. Arg.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05167-0070-7

59. **Lecanora aurantiaca** v. **flavovirescens,** — et **diffracta** — est **Amphiloma murorum** v. **lobulatum** Körb. Par. p. 48, lobulis thalli fere undique obsoletis, ut saepe in tropicis et subtropicis occurrit. Caeterum jam apotheciis a *Callopismate aurantiaco* Mass., ad illa *Blasteniae ferrugineae* Mass. nullomodo accedentibus recognosci potest.

60. **Lecanora millegrana** — est **Patellaria millegrana** v. **suffusa** (Fr.) Müll. Arg. L. B. n. 1169, et Lich. Parag. n. 122.

61. **Lecanora fusco-nigrescens,** — seu *Lecidea millegrana* f. *fusco-nigrescens* Nyl. in Prodr. Nov-Gran. p. 64, est **Patellaria millegrana** v. **fusco-nigrescens** Müll. Arg. Lich. Parag. n. 121. E copiosis speciminibus specifice distingui non potest.

64. **Lecanora glaucodea** — nil est nisi vulgaris **L. sordida** Th. M. Fries. Scand. p. 246. — Thallus est cinereus, nec flavidus ut in *L. glaucodea* Nyl.

66. **Lecanora xanthaspis** Krplh. (1878) eadem est ac *Callopisma* australe Müll. Arg. L. B. n. 249 (1881) et dein, prioritate gaudens, **Callopisma xanthapsis** nominanda est. Apothecia colore satis ludunt, novella hinc inde vere flava occurrunt ut descripsit Krplh. et qualia etiam e Brasilia meridionali prope Apiahy lecta (Puiggari n. 1081) accepi, sed mox pulchre aurantiaca evadunt (hic *C. australe* v. *aurantiacum* Müll. Arg. L. B. n. 249) et demum magis obscurata sunt et tum *Lecanoram erythroleucam* v. *subcerinam* Nyl., Krplh. Lich. Glaz. p. 25 referunt. Hae formae ergo non amplius segregandae sunt, at *C. australe* v. *crenulatum* Müll. Arg. L. B. n. 332 bene destinctum est et nunc **Callopisma xanthaspis** v. **crenulatum** nuncupandum est.

67. **Lecanora hypomelaena** Krplh. est species distincta, affinis *L. graniferae* Ach. — Ad L. hypomelaenam, dein etiam omnino pertinet *L. granifera* v. *leucotropa* Krplh. Lich. Warming n. 55 (non Nyl.).

68. **Lecanora badia** v. **biatorina** Krplh., est normalis **Lecanora badia** Ach. Univ. p. 407, apotheciis circ. 1 mm latis, bene evolutis et hanc ob causam fere immarginatis. apothecia talia etiam in planta europaea vidimus. Sporae a cl. Krempelh. non visae, cum specie bene conveniunt.

69. **Lecanora Domingensis** a et b — est **Patellaria Domingensis** Pers. v. **inexplicata** (Nyl.) Müll. Arg. L. B. n. 1030.

70. **Lecanora livido-fusca** Krplh., est **Lecanora granifera** Ach. v. **leucotropa** Nyl. Lich. Husn. p. 11.

71. **Urceolaria bispora a terricola** Krplh. — est **Urceolaria scruposa** v. **cinereo-caesia** (Ach.) Müll. Arg. Lich. Montevid. n. 35, in America meridionali vulgatissima. — In apotheciis late apertis subvetustis re vera asci hinc inde 2-spori apparent, sed saepissime vacui sunt et sporae binae male servatae, corrugatae, vetustae, et asci spurie 2-spori nil sunt nisi asci 8-spori incomplete evacuati ut abunde probat dissectio apotheciorum juniorum ejusdem thalli. Totus habitus ceterum cum *Urceolaria cicereo-caesia* Sw. (fide specim. Sw.) perfecte quadrat.

— — b. **saxicola** Krempelh. — est species distincta, **Urceolaria diffracta** Müll. Arg.; thallus cinereo-fuscescens, diffracto-areolatus, areolae planae, angulosae, laeves; apothecia ex innato emergentia, concava; margo primum duplex, exterior thallinus tenuis, mox reclinatus et interiorem proprium nigrum prominentem denudans; discus niger v. subniger; hypothecium nigro-fuscum; sporae in ascis completis 8-nae, 20—44 μ longae, 12—18 μ latae, demum minute crebre cubico-multicellulosae. —

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05167-0071-3

Thalli areolis, margine demum sublecideino et sporis crebre (nec laxe) multilocellosis insignita est.

72. **Urceolaria scruposa** v. **diacapsis** — est absolute eadem ac *Urc. bispora* Krplh. l. c. n. 71, et ad **Urceolariam scruposam v. cinereocæsiam** (Ach.) Müll. Arg. pertinet.

73. **Pertusaria verrucosa** — planta huic subsimilis est, at verrucae non vere sunt verrucigerae, sed a laevi demum plicatulae et subinde plicato-subverrucosae, sporae intus non laeves sunt et planta a Féeana vere diversa est et ad **Pertusariam tetrathalamiam var. plicatulam** Müll. Arg. Revis. Lich. Féean. p. 3 pertinet. — In eadem schedula hb. Krempelh. insuper admixta affixa est **Pertusaria tetrathalamia v. tetraspora** Müll. Arg. l. c., quae in America meridionali vulgaris est.

74. **Pertusaria decussata** Krplh. — sit **Pertusaria melaleuca** Duby **v. decussata** Müll. Arg., a planta primaria speciei non diversa nisi praesentia linearum nigrarum hypothallinarum thallum varie decussatim percurrentium. Verrucae caeterum, ostiola et sporae omni respectu conveniunt. Hae lineae insuper pro parte ad Lichenes alienos immixtos pertinent.

75. **Pertusaria chiodectonoides** — est normalis **Pertusaria mela leuca** Duby Botan. gall. p. 673; Müll. Arg. L. B. n. 729. Est species latissime distributa. — A cl. Krempelhuber pro statu juniore ejusdem speciei habita fuit species optime distincta sequens: **Pertusaria nana** Müll. Arg.; thallus cinereo-albidus, tenuis, continuus v. demum rimosus, laevis; verrucae circ. $^2/_3$ mm latae, orbiculares, convexae, deplanato-nanae, basi sensim in thallum abeuntes, simplices et geminatim v. ternatim confluentes, simplices vulgo monocarpicae, apice convexo haud truncatae et demum latiuscule hyalino-ostiolatae; ostiola demum leviter prominula; sporae in ascis 6—8-nae, circ. 50 μ longae et 22—27 μ latae, intus laeves. — Affinis *P. cinerellae* Müll. Arg. Lich. Montevid. n. 37 et *P. albidellae* Nyl. in Prodr. Nov. Gran. p. 36.

79. **Lecidea myriocarpa** — est planta fallax, prima fronte facillime *Buelliam myriocarpam* Mudd simulans, sed apothecia madefacta marginem lecanorinum et discum distincte pallescentem ostendunt et statim *Rinodinam* trahunt. Est **Rinodina metabolica v. phaeocarpa** Müll. Arg. Lich. Paraguay. n. 84.

83. **Lecidea maculans** Krplh. — est species *Rinodinae*, inter *R. metabolicam* Arzi et *R. colobinoidem* (*Lecanoram colobinoidem* Nyl. in Prodr. Nov. Gran. p. 31). Sit **Rinodina maculans** Müll. Arg.: Apothecia sicca nigra, madefacta pallescentia, mollia, primum margine distincte thallino cinereo-fusco tenui et prominente cincta, demum convexa et immarginata, intus pallida, abortiva autem intus fere undique cerasino-rufa v.-rufescentia; apothecium late cerasino-fuscum v.-rufescens; lamina hyalina; hypothecium rufulum v. hyalino-rufescens; sporae 8-nae, evolutae fuscae, 16—22 μ longae et 7—11 μ latae. — Species thallo fuligineo-maculari tenuissimo insignita.

84. **Lecidea silvana** — est bene evoluta **Lecidea exigua** Chaub. in Flora Agen. p. 478. — Species vulgatissima, in hemisphaerio septentrionali saepius apotheciis pro parte male evolutis occurrens.

85. **Lecidea russeola** Krplh., — est distincta species *Patellariae*, affinis *P. millegranae* (Tayl.) Müll. Arg., nunc **Patellaria** (s. **Bacidia**) **russeola** Müll. Arg. nuncupanda, cui omnino referenda est paullo junior *Patellaria phaeoloma* Müll. Arg. Revis. Lich. Eschw. n. 43, et **Lich. Paraguay. n. 119.**

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05167-0072-8

86. **Lecidea fusco-cervina** Krplh. — est **Opegrapha** (sect. **Lecanactis**) **Quassiae** (Fée.) **v. obfuscata** Müll. Arg. Revis. Lich. Féean. p. 6.

87. **Lecidea crocina** Krplh. — est species elegans, eximie distincta, nunc **Blastenia crocina** Müll. Arg. (Lich. Paraguay. n. 123) nominata.

88. **Lecidea alutacea** Krplh. — sit **Patellaria millegrana v. carnea** Müll. Arg., apotheciis carneis. — Thallus superficie demum crebrius aut laxius rimulosus, laevior (junior) aut demum subverruculoso-asperulus; apothecia nuda aut halone cinereo subindistincto suffusula. — Etiam in Paraguay: Balansa n. 4151 (impressione in meis Lich. Paraguayens. casu omissa), ad Apiahy Brasiliae, ubi saxicola lecta: Puiggari n. 1745, et prope Lagoa Santa: Warming.

— — **rufa** Krplh. — est eadem ac *Lecidea russeola* ejusdem supra n. 85, sc. **Patellaria russeola** Müll. Arg.

89. **Lecidea ferruginea v. cinereo-fusca,** — marginem thallinum apotheciorum offert et pertinet ad **Callopisma erythranthum** (Tuck.) Müll. Arg. Lich. Montevid. n. 30.

90. **Graphis Acharii** Fée, — recte determinata, nunc **Graphina** (s. **Rhabdographina**) **Acharii** Müll. Arg. L. B. n. 1031, et Graphid. Féean. p. 38. — Sporae bene evolutae in ascis 1—4-nae, 22—30-loculares, loculi, exceptis ultimis, 2-locellati, v. plures in parte media sporarum 3-locellati.

91. **Graphis tenella**, — est **Graphis duplicata v. sublaevis** Müll. Arg. Graphid. Féean. p. 35. — Lirellarum labia fere semper integra visa, sed totae lirillae latiores et magis hiantes quam in simillima *Gr. Lineola* Ach. s. *Gr. commate* auct.

92. **Graphis obuncula** Krplh. e duabus satis consimilibus at analytice valde diversis in eodem ramulo crescentibus formata est:

a. **Graphina** (s. **Chlorogramma**) **obuncula** Müll. Arg.; lirellae 1—1 ½ mm longae, albiores; labia 1-sulcata; sporae in ascis 8-nae, circ. 45—55 μ longae et 15—18 μ latae; locelli in series circ. 14 dispositi. — Juxta *Graphinam fasciatam* (Eschw.) et *Graphinam* contextam Müll. Arg. locanda.

b. **Graphina** (s. **Chlorogramma**) **Lorentzii** Müll. Arg.; magis argillaceo-tincta; lirellae validiores, longiores; labia 2-pluri-sulcata; sporae in ascis solitariae, 120—160 μ longae et 24—30 μ latae, crebre locellosae, locelli in series circ. 34 dispositi. — Pulchra species, etiam similis Graphinae contextae Müll. Arg., sed valde macrospora et lirellae non confertae. — Ambae species, sed essentialiter prior, in descript. Krempelhuberi comprehensae erant.

93. **Graphis striatula,** — est **Graphis** (s. **Aulacographa**) **duplicata** Ach. Syn. p. 81; Müll. Arg. Graphid. Féean. p. 34.

94. **Graphis componens** Nyl. in Prodr. Nov. Gran. p. 132, Krplh. l. c. p. 34. — Plantam Lindigii quidem haud vidi, sed descriptio Nylanderi cum nostra planta convenit, excepto thallo leviter recedente. Certe proxima est *Graphinae Acharii v. vestitae* Müll. Arg. (*Graphidi vernicosae* Nyl.), et var. *monosporae* (Nyl.) Müll. Arg. L. B. n. 1031, at sporae in ascis solitariae multo minores sunt quam in var. *monospora Graphinae Acharii.* Perithecium completum est, sed basi paullo attenuatum; sporae circ. 18-loculares, locelli in quaque serie (in axi) 4—5.

95. **Graphis gracillima** Krplh. — sit **Graphina** (s. **Mesographina**) **gracillima** Müll. Arg. — Perithecium in sectione superne utrinque nigrofuscum, caeterum hyalinum; labia coniventia, haud sulcata; sporarum locelli in series transversales 15—18 dispositi, in quaque serie 3—5.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05167-0073-4

96. **Graphis caesio-pruinosa** Fée, — recte determinata, nunc est **Phaeographina** (s. **Eleutheroloma**) *caesio-pruinosa* Müll. Arg. Graphid. Féean. p. 49.

98. **Opegrapha comma**, — est **Graphis Lineola** Ach. Univ. p. 264.

99. **Opegrapha heterocarpa**, — est **Opegrapha Bonplandi** Fée. Ess. p. 25. — Speciminibus hujus speciei admixta est, pulchre evoluta: **Platygrapha bimarginata** Nyl. in Prodr. Nov. Gran. p. 560, obs.

102. **Endocarpon pusillum**, — simul includit altero specimine **Endopyrenium hepaticum** Körb. Parerg. p. 302, ubi sporae simplices et hyalinae et gonidia hymenialia nulla.

103. **Verrucaria fetivica**, — sit **Pyrenula fetivica** Müll. Arg.; apothecia $^3/_4$ mm lata, medio superne triente v. angustius nuda, caeterum thallino-velata at translucentia; perithecium diplanatum, 3-plo latius quam altum, superne circumcirca quasi subalato-dilatatum v. peltatum, dilatatione obtecta extus annulum cingentem cinereo-nigricantem formente, basi completum sed tenue et subplanum; asci 8-spori; sporae 15—18 μ longae et $6^1/_2$—8 μ latae, elongato-ellipsoideae, subaequaliter 4-loculares et fuscae. — Ad *P. peltophoram* Müll. Arg. accedit, sed apothecia magis deplanata, centro nudo haud nitida et thallus pallide olivaceus. — Haec omnia ex specim. argentinensi scripta, sed non certum est an haec sit perfecte identica cum planta mexicana, in quam species condita fuit.

105. **Verrucaria basilica** Krplh. — sit **Pseudopyrenula** (s. **Polymeria**) **basilica** Müll. Arg.; species nobilis, distinctissima, juxta *Ps. calosporam* Müll. Arg. Pyrenoc. Cubens. p. 409 (ubi thallus laevis) locanda est.

106. **Verrucaria pyrenuloides** Nyl., Krplh. l. c., bene determinata, nunc est **Anthracothecium pyrenuloides** Müll. Arg. Lich. Afric. occid. n. 52. Vid. etiam n. 110.

108. **Verrucaria vernicosa** Krplh. — sit **Pyrenula vernicosa** Müll. Arg.; thallus olivaceo-viridis, obtuse inaequalis, tenuis; apothecia obtecta, demum vertice nudo angustius aut latius perspicua; perithecium $^3/_4$ mm latum, globosum, longe majore parte cortici substrati immersum, completum, basi tamen tenuius; paraphyses capillares, simplices; asci lineares, 8-spori; sporae 28—40 μ longae, 13—18 μ latae, apposite aut imbricatim 1-seriales, e hyalino mox fuscae, fusiformi-ellipsoideae, inaequaliter 4-loculares (nec 2-loculares ut descriptae fuerunt), loculi duo intermedii ampli, terminales angusti et multo minores v. rudimentarii. — Nulli nisi australiensi *Pyrenulae defossae* Müll. Arg. L. B. n. 545 similis et affinis, cujus sporae minores et aequaliter 4-loculares. Lichen primo visu sterilis apparet.

109. **Verrucaria thelocarpoides** Krplh. — est nunc **Polyblastia thelocarpoides** Müll. Arg. L. B. n. 1109.

110. **Verrucaria subducta**, — non differt ab **Anthracothecio pyrenuloide** Müll. Arg. et idem est ac n. 106 supra. Sporas tantum vetustas corrugatas vidit et delineavit (in sched.) Auctor, nescio qua causa, in diversis enim apotheciis eas pulchre evolutas, circ. 40—60 μ longas, oblongo-ellipsoideas, circ. 10—12-seriatim plurilocellosas vidi.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05167-0074-0

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1889

Band/Volume: 72

Autor(en)/Author(s): Lorentz , de Krempelhubero A., Müller J.

Artikel/Article: Observationes in Lichenes argentinenses 62-68